



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. Christi aduentum terræ motu, alijsq[ue] prodigijs confirmatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Contra Iudæos, docet Tertullianus, in primis querendum, an expectetur nova legis lator, & novi testamenti heres, & novorum sacrificiorum sacerdos, & nova circumcisionis purgator, & æterni sabbati cultor: qui legem veterem compescat, & novum testamentum statuatur, nova sacrificia offerat, & ceremonias antiquas reprimat, & circumcisionem veterem, cum suo sibi sabbato, compescat, & novum regnum, quod non corrumpatur, adnunciet. Nam etiam nova legis lator, sabbati, spiritalis cultor, sacrificiorum æternorum antistes, regni æterni æternus dominator, querendum an iam venerit, necne; vel venturus adhuc speretur? E Prophetis omnibus constat, venturum fuisse; nobis certum est, venisse, quia tempora, & modus, & lex nova, & Christi regnum ubique porrectum, & omnia congruunt, quæ propheta cecinerunt. Iudæi venisse negant, & tanquam hiæantes corui adhuc Messiam suum expectant. Ut ergo & illos doceret, legem Mosaicam, veteresque ritus, & sacrificia, ac ceremonias esse antiquatas, Christo Servatori auctoritatem cælestis Patris, mirabili terræ motu, aliisque prodigijs seuerè confirmavit. Ita enim Iudæi calcitrantes erant capistrandi: qui si frænum morderent, si contra stimulum tenderent; saltem exemplum ad nos instruendos erat transiturum.

Narrant id complures, ego è Nicephori historia recensent. Iulianus Imperator, qui, ob desertum Dei unius, & veræ Ecclesiæ cultum, Apostata nomen obtinuit, quantus quantus, ex imis vnguibus ad verticem summum ex impietate concretus, Iudæicæ superstitionis in tantum promotor, in quantum persecutor Christianorum, Hebræis potestatem fecerat, ut, ex prædicatione Christi dirutum, Hierosolymis, templum à fundamentis denuò extruerent, quo stante, Iudaismus stare videbatur. Iudæi, potestate obtenta, velut perrupto aggere torrens, effusi, summo studio, in templi structuram incubuerunt, ut pristinum ritum renouarent, atque cum templo sacrificia Mosaicæ legis restaurarent. Hoc in opere duo acciderunt, quæ ad Christi gloriam illustrandam maximè pertinent. Nam & eius vaticinium ipsi Iudæi impleverunt, & prodigio ingenti demonstratum est, non esse consilium contra Dominum, quod habeat successum. Siquidem discipulis Christo ostendentibus adificationes templi, ipse respondens

XIII.  
Tertullian.  
lib. 6. aduers.  
Iudæos. c. 6.

XIV.  
Niceph. Cal.  
list. lib. 10.  
hist. Eccles.  
cap. 32. & 33.

Matth. 24. 1.

H b

dixit